







CURRICULUM STU-  
DIORUM SCHOLÆ  
GORLICENSIS,

conscriptum à Clariss.º Viro

Dn. M. LAURENTIO LUDOVICO  
Leobergense, Rectore.

A.º 1584. Cal. VIIIibr. & præsenti  
Statui accommodatum.

Diebus Dominicis, horis matutinis.

**S**electæ quatuor superiorum classium decuriæ, per vices ob-  
sunt preces matutinas. Sub concione dimittuntur. Post concio-  
nem in suum reversi curiales locum, quod reliquum est hymnorū  
decentant.

Ad liturgiam sacram superiorum trium classium decuriæ omnes  
præstò sunt: musicæ modulis concentibusq; operam navant. Sub con-  
cione, in templo universæ, præsentibus præceptoribus, iisdemq; in-  
spectoribus suo loco detinentur. A concione, quæ restant sacra, per-  
aguntur.

Reliquæ tres classes inferiores, in Schola conveniunt: atq; ibi ceu  
infantes in cunis Scholæ adhuc vagientes, præeuntibus voce præcepto-  
ribus, recitant preces pueriles, Capita doctrinæ Christianæ, Cateche-  
sin Lutheri, Evangelia lingua vernacula, sacras sententias è Rosario  
Trocedorfii. Operam navant alternis

Johann. Major Gorlic.

Paulus Gebhardus Gorlic.

Joach. Feurbachius Gorlic.

Cantus & Symphonias in templo moderatur

Joach. Sannovius Mönchberg. March.

PRIMA

PRIMA CLASSE.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis Matutinis.

Qui apud præceptores vivunt: illi primùm singulis diebus privatim sacra faciunt: deinde ad publicas lectiones sese accingunt, & publicæ recitationis priùs privatum specimen edunt.

Post publicos hymnorum sacrorum concentus, in singulis classibus initium fit à precibus Scholasticis, recitatione catecheseos, aut lectionis, quæ in sacris proposita est: lectione Psalmi & capitum ex Bibliis. Has recitationes sequuntur operæ horarum.

Prima, quæ est *Septima matutina*, Dialectica Philippi. Certis partibus absolutis, iisdem horis instituuntur repetitiones præceptio-  
num: quas sequuntur recitationes ex Compendio Dialectices Scholæ nostræ.

M. Elias Cüchler Gorl.

Secunda, quæ est *Octava Matutina*. Libri Ciceronis de Oratore primum vernacula lingua redduntur: postea Dialecticis & Rethoricis præceptis accommodantur: Grammaticæ commonefactiones, ubi res postulat, adduntur: phrasium loci communes & periodorum membra ex præscripto Dn. Sturmii monstrantur. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones. Absolutâ disputatione integrâ recitationes: in quibus concertantes inter se de palmâ committuntur.

M. Joh. Ludovicus Gorl.

Horâ nonâ privatis apud præceptores locus est repetitionibus omniū ordinum.

Horis Pomeridianis.

Dodecima, privatis tribuitur repetitionibus apud præceptores domesticos & pædagogos.

Prima. Phocylides, cui succedit oratio Isocratis ad Nicoclem. Eam excipiet liber unus Homeri. Usitata enim fuit nobis hactenus αὐτίδοσις seu vicissitudo orationum Isocratis & poëtarum, Homeri, Hesiodi, Pythagoræ, Phocylidæ, Theognidis. Hic primùm interpretatione latina proponitur: deinde singularum vocum examen Grammaticum additur: dialectorum discrimen monstratur: themata singuli scribere domi, in ordinem suum redigere, atq; ad repetitiones publicas afferre jubentur. Interdum distichon aut tetraastichon, interdum periculum Græcam grandiores exhibent.

M. Georgius Theodorus, Gorl.

L

Secunda.

# CURRICULUM STUDIORUM

*Secunda.* Arithmeticæ Gemmæ Frisiæ; cui succendent præparatis mediocri arithmeticæ usu, auditorib. quæstiones doctrinæ Sphæricæ.

*M. Martinus Möller Sprotanus.*

*Tertia.* Æneis Virgiliana, in quâ primum Grammaticus vocum ordo monstratur: postea vernacula interpretatio adhibetur: phrasium poëticarum loci monstrantur: tandem dispositiunculis Rethoricis partes Poëmatis illustrantur. Uno libro absoluto succedit liber Poëticorum Vidæ. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones præceptionum Philippi & præcipuarum observationum Linacri.

*M. Elias Cüchler.*

## Diebus Mercurii & Veneris.

*Prima.* Oratio pro Milone. Hic primum vernaculâ linguâ traditur expositio: eam periodorum & membrorū ex præscripto Dn. Sturmii sequitur distinctio, Rhetorica dispositio, examen elocutionis oratoriæ, loci communes phrasium: & Grammatica necessariarum vocum explicatio. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones. Absolutis integris partibus recitationes. Totâ finitâ oratione in medium producunt, vi memoriae, pronunciationis atq; actionis conformatione interfici certantes: sententiam de victoribus ferente in præsentia præceptorum, Prætore & Senatu Scholastico. Huic succedit liber Epist. Ciceronis. Ubires postulat, audiuntur rei dicentes causam neglecti officii in foro scholastico: exercente judicium Senatus Scholastici prætore. Proponuntur eadem horâ Rethoricæ dispositiones, declamandi munus suffragiis Senatus Scholastici, tertio decimo post die, subituris. Declamationum argumenta è doctrinâ scholæ publicâ sumuntur, adolescentibus nota: aut è trecentis à Melanthone scriptis orationibus diliguntur: quibus sapientiæ & eloquentiæ palmam hac ætate tribuunt eruditi: ut ad earum lectionem adolescentes mature invitentur.

*M. Elias Cüchler.*

*Secunda.* Rhetorica Philippi, ubi communia Rethorum præcepta monstrantur: dispositionum typi varii ex autoribus optimis proponuntur: de regulis studiorum adolescentiæ, quæ ab autore in hoc libello ad usum nostræ ætatis traduntur, discentes diligenter erudiantur: optima quæq; una cum præceptionum serie à singulis memoriaz mandantur ex libello Scholæ nostræ. Locus de Imitatione ab omnibus ad verbum exigitur.

*M. Joh. Ludovicus.*

Horis

## Horis pomeridianis.

**Prima.** Grammatica Crusii Græca. Alternis lectiones & recitationes, Integro absoluto loco repetitiones & examina universalia.

*M. Georg. Theodorus.*

**Secunda.** Libri Ciceronis de Officiis. His succedent commentarii Cæsar. Alternis lectiones & Grammaticæ ex præscripto Melanthonis & Linacri repetitiones.

*M. Mart. Möller.*

**Tertia.** Parænesis Isocratis ad Demonicum. Primum vernacula interpretatio καὶ τὸ διάλογον proponitur: deinde singularum vocum Grammatica excutitur: dialecti Atticæ proprietas ostenditur: thematum idem quod supra examen exigitur. Proponuntur imitationes. Quidam hujus linguae studiosi integras oratiunculas aut poëmatia Græcè scripta in publicis scriptorum examinibus afferunt. Absolutâ intra paucas septimanas Parænesi, succedit Ajax Sophoclis.

*M. Johannes Ludovicus.*

## Die Jovis.

**Prima.** Alternis disputationes & Declamationes. Declamatores bini, Prætoris præfatiunculâ invitati de palmâ elocutionis & actionis certant æmulatione quadam honestâ & liberali: censuram modestè agunt Prætor & Senatus Scholasticus, præsente Rectore.

Disputationes consumuntur partim examine exemplorum in toto organo Philippi: partim objectionibus ad theses & sententias illustres, è lectionibus publicis collectis, & ad disputandū propositis. Harum solutiones, vel ex ipso textu, vel enarratiunculis brevibus, ut occasionem repetendarum habeant lectionum, depromunt adolescentes: easq; ad examen syllogisticum de præscripto Melanthonis, tūm opponendo tūm respondendo accommodant. Præses disputationum suffragiis Senatus scholastici legitur. Respondendi munere, ut & declamandi, funguntur duæ decuriæ supremæ. Reliquæ ordine opponentes, à præside ad normas examinis Syllogistici adiunguntur. Horum conatus audit præsens

*M. Elias Cüchler.*

**Secunda hora matutina.** Examen scriptorum oratione soluta: quæ quatri duo antè proposita fuerunt, ad imitationem librorum de Oratore, de Officiis, orationum aut Epistolarum Ciceronis, ex præscripto Dn. Sturmii. Interdum aliæ quædam narrationes necessariæ interponuntur. Qui bonam navarunt operam: hi publicè sua recitare scri-

L ij

pta

# CURRICULUM STUDIORUM

pta jubentur: ut alii horum exemplo ad diligentiam invitentur. Huic examini præsunt:

*M. Elias Cüchler. M. Joh. Ludovicus.*

*M. Mart. Möller. M. Georg. Theodorus.*

Feriis anniversariis, Theophaniis, Hilaribus, Soteriis, Paschali- bus, Pentecostes, Liberalibus Scholasticis, quibus plures à studiis im- munes sunt dies, singuli suo Marte invenire, disponere, elocutione or- nare jubentur scripta de doctrinâ illius temporis, ut hac occasione in- vitentur ad lectionem, meditationem, atq; exercitationem doctrinæ, quæ publicè in Ecclesiâ tractatur. Quorum scripta probantur, ea pu- blicè in Scholâ audiuntur.

## Horis Pomeridianis.

Immunitas à studiis totius populi scholastici: Inferiores tamen decuriæ hujus Classis à 12, usq; ad primam privata declamationum ex- exercitia habent: quibus paulatim ad dicendi usum assuefiant. Horum conatibus præest Prætor Scholasticus cum judicibus ex hac classe sele- ctis. Auditorum certus numerus manè à prætore accersitur.

## Die Saturni.

*Prima.* Grammaticam expositionem, dispositionem Rheticā Euangeliorum Dominicalium: pèst etiam theses, objections & solu- tiones breves atq; dialecticas è postillâ Phil. Melanthonis proponet

*M. Johannes Ludovicus.*

Sub finem hujus horæ conferunt inter se præceptores de lectioni- bus, repetitionibus, progressionibus discentium, de absentibus, de pe- tulantibus, de diariis, de scriptis publicis, de disciplinâ, de officiis in- ter se mutuis, de communicatione operarum in docendo.

*Secunda hora matutina.* Examen scriptorum in oratione ligatâ, quorum argumenta vel ad imitationem lectionum publicarum in Vir- gilio accommodantur: vel è poëtis nobilioribus, qui poësi Christianæ hac nostra ætate colophona imposuisse, non immeritò putantur, dispo- sitiones numeris aptæ, versuum sententiis distinctæ, & à phrasî poëticâ non longè remotæ, accurato studio proponuntur: ut adolescentiolorū conatus aliquâ ex parte, hac ratione subleventur. Si qui diligenter sua elaborârunt poëmata: illi publicè audiuntur. Hoc examen curant

*M. Elias Cüchler. M. Joh. Ludovicus.*

*M. Martinus Möller.*

*Hora tertia, quæ est nona.* Epistola Pauli ad Romanos Græca: primum additur interpretatio genuina latina: deinde ostenditur me- thodica

thodica analysis, pōst doctrinæ genus explicatur : tandem accedit Grammatica Phrasis Paulinæ declaratio. Absolutum caput grandiores græcè, minores latinè memoriter recitant. Huic succedit Epistola ad Titum, quam subsequentur Confessio Augustana, Examen Theologicum Philippi : & Grammatica Græcæ Catecheseos repetitio : qui fuit harum lectionum quinquaginta hisce annis, quibus Gymnasiūm hoc floruit, ordo.

*M. Elias Cüchler.*

Horis pomeridianis.

Preces vespertinæ ab universo cœtu scholastico, tām minorum quam majorum gentium, frequentantur.

Hi primi census cives, ad studia Academica, si quam debent, adbibent in discendo diligentiam, afferre possunt elementa præcipuorum articulorum doctrinæ cælestis, è scriptis Lutheri & Philippi : noticiam necessariam præceptionum grammaticarum, dialecticarum, rhetoricarum Philippi : exempla memoria mandata aliquot orationum Ciceronis tūm forensium tūm Philosophicarum : quæ, ut ipse Cicero loquitur, aquabili scriptæ sunt & temperato orationis genere : Item insignium aliquot Epistolarum & narrationum Ciceronis : librorum etiam aliquot Virgilii & Cesaris : usum mediocrem styli in oratione solutâ & ligatâ : nonnullam disputatiuncularum & declamationum peritiam : elementa Græcæ lingvæ studiis Academicis in primis necessaria : aliquam cognitionē Arithmeticae, Musicæ, principiorum sphæricorum : denig, non prorsus rudes erunt Poëtarum & Oratorum Græcorum.

## C L A S S E S E C U N D A.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis Matutinis.

**Prima.** Etymologia Grammatices, è locupletioribus Philippi præceptionibus : in qua & præcepta & exempla breviter exponuntur, regulis applicantur : historiarum & fabularum, si quæ occurrunt, commemorationes prolixæ prætermittuntur. Alternis lectiones, interpretationes, recitationes, ephemeridum inquisitiones. A prioribus plura, à posterioribus pauciora requiruntur.

*Joach. Sannovius Cantor.*

*L iij*

*Secunda.*

*Secunda.* Elegiæ Ovidii & Bucolica Virgilii alternis. In his duodecim circiter versibus propositis, Grammatica vocum constru&io monstratur: interpretatio lingvâ vernaculâ additur: vocum & phrasij breves enarrationes & distinctiones traduntur. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones. Ut pueri ad domesticas repetitiones adsuefiant: propositam lectionem domi vertere lingvâ vernaculâ coguntur; & in Scholâ præceptori versionem inter repetendum exhibere. Idem fit de examine præcipuarum regularum.

*M. Georg. Theodorus.*

Horis Pomeridianis.

*Prima.* Prior pars Grammaticæ Græcæ Crusii cum colloquiis Græcis Posselii. Hic alii in lectione & pronunciatione vocum Græcarum exercentur: alii vocum discrimina & inflexiones meditantur. Unâ aut alterâ sententiâ propositâ, lectiones ac repetitiones locum habent eâdem horâ.

*M. Martinus Mollerus.*

*Secunda.* Musica Gesii. Usus præceptionum in harmoniis quotidianiis. Interdum hymnus, quem tempus flagitat, è libello Scholæ antè enarratur, quam harmoniz proponantur.

*Joachimus Sannovius.*

*Tertia.* Epistolæ Ciceronis. Periodorum membra distinguntur: ordo vocum Grammaticus monstratur: vernaculâ linguâ tres aut quatuor sententiæ redduntur: phrasium loci communes ostenduntur; ut in Ephemerides referantur. Alternis lectiones & Grammaticarum præceptionum Melanthonis repetitiones: diariorum inspectiones.

*M. Johannes Ludovicus.*

## Diebus Mercurii & Veneris.

*Prima.* Syntaxis Philippica auctior. Post vernaculam sententiæ & versuum interpretationem exempla regularum monstrantur, exceptiones & annotationes discernuntur. Hic ut iterum ad domesticas adigantur repetitiones pueri: applicationum exempla domi scribere & præceptori in scholâ offerre jubentur. Alternis lectiones, interpretationes, recitationes, scriptorum domesticorum examina.

*Joach. Sannovius.*

*Secunda.* Doctrina de syllabarum temporibus, de numerorū, qui pedes vocantur, generibus: de carminum formis, ex præscripto Dn. Meisteri. Alternis lectiones, interpretationes, recitationes.

*M. Georg. Theodorus.*

Horis

Horis pomeridianis.

*Prima.* Paradoxa Ciceronis, quibus propediem succendent Libri Ciceronis de Officiis, in quibus vernaculâ lingvâ quinq; vel sex sententiæ proponuntur: constructio Grammatica, ratio distinctionis, vocum ac phrasium vis ac significatio monstratur. Alternis lectiones, repetitiones, recitationes, laborum domesticorum exawina.

*M. Martinus Möller.*

*Secunda.* Musica Gesii, in qua technica vocabula enarrantur & præceptorum usus in exemplis, in tabulâ propositis monstratur. Exercitationes hîc sunt quotidianæ harmoniarum: quæ diebus sacris in templo per totum annum decantantur.

*Joach. Sannovius.*

*Tertia.* Lælius sive de Amicitia Ciceronis: quo absolute succedit Oratio brevior Ciceronis, qualis est pro M. Marcello, pro Archia, pro Dejotaro, Post reditum ad Quirites, item Sexta Verrinâ: in quibus quinq; vel sex sententiæ vernaculâ lingvâ exponuntur, phrasium loci monstrantur: & in diaria congeruntur. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones, Ephemeridū inquisitiones. Ad finem perducto libello aut oratione, instituuntur recitationes: actione decertantes inter se curiales in Scholâ committuntur: diligentia & industria studiorum remissione animiq; recreatione compensatur.

*M. Elias Cüchler.*

### Die Jovis.

*Prima.* Generalia examina præceptionum Etymologiæ & Syntaxeos. Item elementa doctrinæ Arithmeticæ instillantur huic ordini, alternis

*M. Martinus Möller.*

*Joachimus Sannovius.*

*Secunda.* Examen scriptorum oratione solutâ, quæ è phrasibus Ciceronis in lectionibus quotidianis traditis proponuntur.

*Joach. Sannovius.*

*Valentinus Thebes Gorlic.*

### Die Saturni.

Horis matutinis.

*Prima.* Grammaticam & phrasin Græci textus Evangeliorum è prælectionibus Melanthoniis tractat

*M. Georgius Theodorus.*

# CURRICULUM STUDIORUM

*Secunda.* Examen Philippi. Vernaculae interpretationi adduntur Grammaticæ de simplicibus capitibus commonefactiones. Alternis lectiones & recitationes.

*Joachimus Sannovius.*

*Tertia.* Examen scriptorum oratione ligata: in quo posteriores dislocatas in versibus restituunt dictiones: ut veluti umbrâ quadâ verificationis, quantitates syllabarum perpendere atq; discernere discant. Piores è phrasibus & sententiis Virgilianis numeris suis vincire proposita conantur argumenta: laborantes in verbis & formulis: quæ in numeros facile cogi queant.

*M. Georgius Theodorus.*

Horis Pomeridianis.

Preces Vespertinæ.

*Hic ordo ad supremum affert summam locorum doctrinae ex Philippi examine: mediocrem cognitionem quatuor partium Grammaticæ Philippi: phrasium Ciceronis, Virgilii apparatus: progressiones nonnullas in exercitiis styli, oratione solutâ & ligata: thesaurum memoriae optimarum sententiarum, periodorum, versuum, è Cicerone, Virgilio, Ovidio: initia Arithmeticae, Musicæ, lingvæ Græcae.*

## CLASSE TERTIA.

Diebus Lunæ & Martis.

*Prima.* Etymologiæ Philippicæ compendium, ordine inferiore traditum, h̄ic ita distribuitur: ut singulis mensibus recitando percurtere semel hanc partē hujus loci pueri possint. Interpretatio inferiore classe integrè percepta h̄ic reposcitur & memoriae & libellis inscripta.

*Valentinus Thebes.*

*Secunda.* Bucolica Virgilii. Sex versus aut quotquot orationis Cuvétesa seu contextus patitur, vernaculae lingvâ redduntur: constructio vocum Grammatica monstratur: si quæ à propriâ significatione translata occurrunt, de iis breviter juniores monentur. Alternis lectio-nes, Grammaticæ repetitiones, itē recitationes, in diaria inquisitiones.

*M. Martinus Möller.*

Horis Pomeridianis.

*Hora Duodecima* privata pauperum exercitia in Scholâ.

*Prima.*

# SCHOLÆ GORLICENSIS.

105

*Prima.* Terentii Comœdiæ proponuntur additâ vernaculâ interpretatione vocum, & phrasium distinctione. Alternis lectiones & Grammaticæ vocum singularum repetitiones, ad normam puerilium præceptionum, quæ huic ordini proponuntur. Phrases hîc propositæ in diaria referuntur & præceptoribus exhibentur.

*Gregorius Sartorius Gorlic.*

*Secunda.* Musicæ præceptiones & symphonizæ quotidianæ, Præcepta præcipua memoria mandantur, publicè recitantur.

*Joachimus Sannovius.*

*Tertia.* Libellus de civilitate morum scriptus ab Erasmo. Hîc partes orationis distingvuntur, quæ sint in unaquaq; consideranda, è libello etymologico docetur: significations propriæ & translatæ paucis, sicuti res postulat, traduntur. Alternis lectiones & Grammaticæ repetitiones: in quibus aliis horis, alia orationis partes per sua accidentia ducuntur: nominum ac verborum inflexiones excentur.

*M. Georgius Theodorus.*

## Diebus Mercurii & Veneris.

*Prima.* Syntaxeos Philippicæ compendium; regulæ prioribus plures, posterioribus pauciores proponuntur: exemplorum applicatio-nes domi scriptæ ad præceptorem afferuntur: ut ab ocio domi avocen-tur pueri. Alternis lectiones & recitationes.

*Valentinus Thebes.*

*Secunda.* Elementa Prosodiaca ex præscripto Dn. Meisteri. Hîc primùm usu magis, quam ratione ad mensuram carminis assuefiunt pueri.

*M. Martinus Möller.*

## Horis pomeridianis.

Hora Duodecima pauperes extra ordinem operarum publicarum, ad exercendam manum & cantum choralem in curiâ suâ conveniunt: regente operas inspectore, qui inspectionis suæ rationes reddit præceptoribus.

*Prima.* Epistolæ Ciceronis selectæ à Dn. Sturmio. Phrases è singulis lectionibus ad locupletanda diaria proponuntur. Alternis lectiones, & Grammaticæ pro captu hujus ordinis repetitiones.

*Gregorius Sartorius.*

*Secunda.* Musicæ præceptiones & symphonizæ quotidianæ.

*Joachimus Sannovius.*

*Tertia.* Colloquia Ludovici Vivis. Decerpuntur inde vocabula

M & ap-

# CURRICULUM STUDIORUM

& appellationes rerum: Item phrasium loci communes pro captu hujus ordinis. Alternis lectiones & repetitiones.

M. Georgius Theodorus.

## Die Jovis.

Horis matutinis.

**Prima.** Repetitio Paradigmatum è Donato. Item recitatio certicapidis è libello vocabulorum in decurias distributi.

Valentinus Thebes.

**Secunda.** Examen scriptorum breviusculorum, oratione solutâ, duorum, trium, quatuorvè membrorum, de phrasibus lectionum quotidianarum Ciceronis & Terentii in diariis hujus ordinis ex praescripto Dn. Sturmii.

Gregorius Sartorius.

## Die Saturni.

Horis Matutinis.

**Prima.** Catechesis Trocedorfii.

Valentinus Thebes.

**Secunda.** Latinum Evangeliorum textum cum Grammaticâ vocabulum & phrasium enarratione proponit

Gregorius Sartorius.

**Tertia.** Figuras literarum Græcarum, quoad potest elegantissime dicere atq; repræsentare & earum sonum plenè, ut decet, exprimere in Evangeliorum lectione hujus ordinis pueros docet

Johann. Major.

*Ex hoc ordine ad superiorem afferunt pueri doctrinam catecheticâ, aliquam quatuor partium Grammaticæ cognitionem, literarum Græcarum vim & potestatem, musicæ & lectionis arithmeticæ principia, syllulam phrasium è Cicerone & Terentio, initia quædam exercitationum styli; vocabulorū ultra quatuor millia, è libello Scholæ nostræ cognitionē.*

## CLASSE QVARTA.

Diebus Lunæ & Martis.

Horis matutinis.

**Prima.** Nuda rerum vocabula in decurias distribuuntur ex praescripto Dn. Sturmii. Sequenti die à singulis reposcuntur. Quæstiones de no-

de nominum inflexionibus, ordinumq; distinctionibus assiduè exercentur. Tituli vocabulorum integri repetuntur.

*Gregorius Sartorius.*

**Secunda.** Compendium etymologiæ Philippicum, quæstionibus distinctum: ut commodiùs priorum & posteriorum ratio haberi possit: qui eidem oneri ferundo non sunt pares.

*Johann. Major.*

Horis Pomeridianis.

Pauperes hora *Duodecima* ad sua exercitia conveniunt.

**Prima.** Sententiæ Ciceronis proponuntur, unius, duorum, triū, quatuor membrorum pro captu juniorum & auditorum. Themata nominum & verborum, communiores item phrases adduntur, quas in diaria referre hujus ordinis pueri principio conantur ex præscripto Dn. Sturmii.

*Johann. Major.*

**Secunda.** Manum exercent pingendis literis hac horâ pueri: literarum linguae vernaculae & latinæ figuræ, ductus, lineamenta, metæ inter lineas parallelos vel sese continentes, vel ascendendo aut descendendo easdem excedentes, in tabulâ publicè monstrantur: scripta domestica inspiciuntur.

*Valentinus Thebes.*

**Tertia.** Sententiæ Salomonis & Grammaticæ repetitiones, themata & phrases, pro captu hujus ordinis proponuntur.

*Joach. Sannovius.*

Diebus Mercurii ac Veneris.

Horis matutinis.

**Prima.** Vocabula rerum. Quæstiones pueriles declinationum.

*Gregorius Sartorius.*

**Secunda.** Compendium etymologiæ Philippicum. Alternis interpretationes & recitationes. Hic ut iterum ad domestica studia assuefiant pueri; nudam vocum interpretationem domi scribere, præceptoris offerre, atq; ad sequentem ordinem salvam conservare jubentur.

*Johann. Major.*

Horis pomeridianis.

Hora *Duodecima* pauperes manum & cantum choralem exercent.

**Prima.** Sententiæ Ciceronis & phrases ad instruenda diaria, ex præscripto Dn. Sturmii.

*Johann. Major.*

M i

Secunda

# CURRICULUM STUDIORUM

*Secunda.* Examen exercitiorum, publicorum & privatorum in pingendis literis. *Valentinus Thebes.*

*Tertia.* Disticha Catonis provectionibus, recentioribus lemma-ta Dn. Sturmii Catoni adjecta proponuntur.

*Joachimus Sannovius.*

## Die Jovis.

Horis Matutinis.

*Prima.* Examen generale præceptorum etymologiaz, quo singu-lorum explorantur progressiones: atq; ad examen semestre in Scholâ usitatum præparantur.

*Paulus Gebhardus.*

*Secunda.* Donati paradigmata pueris inculcantur propositis ex-emplis, quibus pueriles de inflexionibus nominum & formationibus temporum, regulæ in verbis declarantur: atq; ex præscripto Dn. Sturmii singulis diversa, tūm nomina tūm verba distribuuntur. Casibus temporibus, modis, ut aliis horis omnibus in repetendo, adduntur in-terpretationes lingua vernaculâ: quæ principia quædam sunt: è quibus tūm latinæ, tūm vernaculæ linguae dextera atq; nativa interpretatio promanat.

*Johann. Major.*

## Die Saturni.

Horis Matutinis.

*Prima.* Catecheseos capita posterioribus simpliciter, prioribus cum Lutheri exegesi proponuntur. Hic iisdem horis locum habent lec-tiones & repetitiones.

*Gregorius Sartorius.*

*Secunda.* Donati paradigmata, exemplis nominum & verborum exercentur ex præscripto Dn. Sturmii.

*Paulus Gebhardus Gorlic.*

## Horis pomeridianis.

Vespertinæ preces.

Hicordo ad superiorem affert elementa doctrinae catechetica lin-guâ latinâ, Donati paradigmata omnia, communia etymologiacapita, apparatus verborum, quarundam phrasium & duo vocabulorum mil-lia, semestri spacio aſſiduè à præceptoribus inculcata, exercitia manus ne-cessaria.

## CLASSE

## CLASSE QVINTA.

109

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris.

Horis Matutinis.

**Prima.** Recitatis priùs precibus, & parte doctrinæ catecheticæ è Lutherò, operâ decurionum exercentur pueri triplici ordine: postremi in figuris literarum agnoscendis & discernendis: medii in syllabis jungendis: supremi in lectione. Has operas moderatur

*Joach. Feurbachius Gorlic.*

**Secunda.** Operam navant præceptor i in iisdem pueris operâ decurionum exercendis pædagogi. Primos audit

*Paulus Gebhardus.*

Horis Pomeridianis.

**Prima.** Priores Donati paradigmata & nominum inflexiones tractant. Postiores literarum figuris, syllabarum conjunctionibus, vocum pronunciatione sunt occupati, præsentibus pædagogis &

*Paul. Gebhardo.*

**Secunda.** Postiores in discernendis literarum figuris, nec tendis syllabis, jungendis dictionibus, operâ decurionum exercent pædagogi. Priores literarum figuræ pingere & formare eleganter docet, tabellâ publicè propositâ, & à singulis domestica scripta flagitat.

*Gregorius Sartorius.*

**Tertia.** Vocabula rerum homœoteleuta, quæ in quotidiano usu versantur & pueris nota esse debent, ex præscripto Dn. Sturmii proponit & reposcit

*Valentinus Thebes.*

## Die Jovis.

Horis matutinis.

**Prima.** Capita doctrinæ catecheticæ junioribus lingua vernacula simpliciter, grandiusculis cum exegesi Lutheri proponit

*Johan. Major.*

**Secunda.** Examen generale vocabulorum superioribus diebus propositorum. Hoc curat

*Paul. Gebhardus.*

## Die Saturni.

Horis matutinis.

**Prima.** Elementa doctrinæ catecheticæ lingua vernacula pueris

*M iij**iterum*

# CURRICULUM STUDIORUM

iterum inculcantur: prioribus cum exegesi Lutheri: posteribus absq; exegesi. Curante

*Paulo Gebhardo.*

*Secunda.* Literarum formâ, pronunciatione, lectione pueri exercentur: initio facto, ut aliis horis omnibus, à capitibus simplicibus doctrinæ catecheticæ: quām sequuntur libelli: qui continent nominū & verborum inflexiones, etymologiæ & syntaxeos compendia, rerum vocabula, Evangelia, Ex præceptis Sturmianis

*Joachimus Feurbachius.*

Horis Pomeridianis.

Preces Vespertinæ.

## CLASSE SEXTA.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris.

Horis matutinis.

*Prima.* Post precum & catecheses recitationem præceptor pri-  
mùm audit decuriones: qui cæteris expeditiis legunt: hi suas deinde  
tantisper exercent decurias: dūm ad præceptorem singuli suo ordine  
vocantur. Hoc modo nulla decuria ocio ac desidiâ horam exigit

*Johann. Major.*

*Secunda.* Audiuntur cādem decurionum operâ pueri, præsente  
cum pædagogis

*Joach. Feurbachio.*

Horis Pomeridianis.

*Prima.* Audiuntur ordines duo posteriores à pædagogis & decu-  
rionibus. Priores in exercendâ manu regit præceptor: in autographa  
domestica inquirit: literarum figuræ, discrimina, ductus, connexio-  
nes in tabulâ monstrat: propositâ sacrâ sententiâ, & cā quidem brevi  
è Rosario Trocedorfii.

*Joachimus Feurbach.*

*Secunda.* Operas decurionum & pædagogorum in audiendis pue-  
ris regit

*Joachimus Feurbachius.*

*Tertia.* Tota tribuitur appellationibus rerum notioribus distri-  
buendis atq; exercendis ex præscripto Dn. Sturmii.

*Paul. Gebhardus.*

## Die Jovis.

Horis matutinis.

*Prima.*

Prima. Catechumeni excentur: priores in exegesi Lutheri, posteriores in capitibus nudis.

Joachimus Feurbachius.

Secunda. Examen generale vocabulorum, superioribus diebus propositorum.

Pædagogi.

### Die Saturni.

Prima. Tribuitur recitationi doctrinæ catecheticæ & Exegesi Lutheri.

Joachimus Feurbachius.

Secunda. Audiendis alphabetariis operam navant decuriones.

Pædagogi.

### Horis Pomeridianis.

#### Preces Vespertinæ.

Hi duo postremi ordines ad proximum afferunt capita puerilia doctrinæ catecheticæ lingvâ vernaculâ: expeditam lectionem, manum ad pingendas literas non prorsus, rudem declinationum paradigmata, mille communium vocabulorum sylvulam, sententiarum aliquot brevissimarum è Rosario Trocedorfi noticiam.

Hic hodie, Deo aspirante, cursus est studiorum Scholæ nostræ: cuius ut ante annos quinquaginta hoc in loco proposita sunt initia: ita hunc usq; in diem incrementa sua haud obscura habuit. Precamur Filium Dei, ἀρχόν & Doctorem nostrum: ut ipse scholas nostras doceat, regat, servet: ac vastitatem barbaricam, imminentem cervicibus nostris, clementer ab his alveolis & myrmecis avertat.

Doctrinæ, pietatis, literarum & disciplinæ puerilis curatores in Scholâ Gorlic. 1616. mens. Febr.

F I N I S.

## Errata.

Eiff. 1. v. 19. l. paedagogorum. Fiff. 2. v. 8. lege excolendo. Ib.  
v. pen. l. elegantissimus. Fiijf. 2. v. 9. l. hæc. Fiijf. 1. v. 15. l. sce-  
lerum. Ibid. v. 22. l. emanare. fac. 2. v. 11. l. id solum quod adest. v.  
seq. l. accommodat. Giijf. 1. v. 17. l. hominem. Hi. f. 2. v. 10. l.  
careat. Iiijf. 1. v. 18. & 19. l. Coφ8.

## Ad lectorem benevolum.

Συγνώμην ἔχ' αναγνώσης: τὸν πλεῖστα ποιῶντα  
δὲ μὲν πολλὰ λαθεῖν. εἰμὶ βροτός: τί γε λᾶς;  
Erratis veniam da Lector: plurima agentem  
Effugiunt quædam. Ringeris? errat homo.





Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005327 0